



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 101. Adriani Papæ opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

§. CI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1523.*Adriani Papæ opera.*

Scripsit Adrianus quædam opera, quo-
 rum excellentia inter Scriptores Ec-
 clesiasticos numerari promeritus est; edidit enim, cum Lovanii Professor sa-
 cræ Theologiæ adita referaret, in qua-
 tuor sententiarum libros quasdam ex-
 positiones, quas ut Pontifex iterato
 prælo subjici jussit, nil in illis immutari
 passus, ne quidem illam sententiam,
 qua afferuit, quod Papa non sit infalli-
 bilis, sed in quæstionibus etiam ad fi-
 dem spectantibus errare possit. Elu-
 cubravit insuper duodecim quæstiones,
 ab eo inscriptas: *Quæstiones quodlibeticas*
 quæ Lovaniensibus Anno Christi mille-
 simo quingentesimo decimo quinto, &
 Parisiensibus literis sequenti, ac de-
 dum Anno Domini millesimo quingen-
 tesimo trigesimo primo excusæ prodie-
 runt. Composuit itidem præter sermo-
 nem de superbia adhuc libellum, cui
 titulus: *Computus hominis agonizantis*,
 quos tractatus cum adhuc Lovanii Theo-
 logiam doceret, publici juris fecit, dein
 Pontificem factum haud alia scripsisse
 constat, quam epistolas ad Marcum Marul-
 lum, Germaniæ Principes, ac præcipue
 ad Fridericum Saxonie Electorem.

Z 3

quæm

Sæcul. XVI. quem impense monet, & urget, ne Mar-A.C. 1523. tinum Lutherum foveret, sed e ditione sua expelleret. Ceterum Adrianus sepultus fuit in ædibus S.Petri inter Pium II. & Pium III. Pontifices in tumulo haud magnifico repositus, cui insculpta erat hæc inscriptio : *Hadrianus VI. hic fitus est, qui nihil sibi infelicius in hac vita, quam quod imperaret, duxit.*

*Duchesne
vies des Pa-
pes Adrien.
VI p 385.
Ciacon. to. 3.
p. 438.*

Porro Enckenvordius Cardinalis egregiam gratissimi animi liberalitatem eidem exhibuit, atque ob accepta beneficia magnifici operis sepulcrum elegantissimis sculpturis atque e typis ornatum non multo post extruxit, quod in Germanorum Ecclesia ad S. Mariam de Anima collocatum fuit, cum prolixa admodum sepulcrali inscriptione, quæ virtutæ ac dignitatum, quibus Papa inclinavit, summam exhibit.

§. CII.

*Cardinales pro eligendo Papa Conclave
ingressi.*

Justis de more Adriano persolutis, Cardinales numero triginta sex conclave ingressi sunt, cuius custodiam Magno Rhodiorum Magistro commiserunt, qui hoc munus cunctis Equitibus suis rubra toga, ac Cruce candida insignitis stipatus auspicari voluit.

§. CIII.